



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica xxv. post penteco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

637 DOMINICA XXV.

& cum piscem qui primus ascēderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies statuerem, illum sumēs, da eis pro me & te. Cuius etiam exemplū secutus idē Petrus, discipulos suos per epistolam admonet, dicens: Deum timere, regem honorificate. Et iterū: Subiecti estote omni humane creature propter Deum, siue regi, quasi præcellentisue ducibus, tanquam ab eo missis ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum.

2. Pe. 2.
Ibidem.

DOMINICA XXV. POST PEN
teosten. ad Colossenses I.

FRATRES, Non cessamus pro uobis orātes & postulantes, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali, ut ambuletis digne, deo ꝑ omnia placētes.] ¶ Audiens Apostolus deuotā ac promptā uoluntatē eorū circa fidē Christi, orat ꝑ eis, ut propēsius agnita uolūtate dei, rariōabili opere cōplerent deuotionē, quā audita fide Christi didicerāt: ne famē mentis fida dicatio & robur fidei, dum incōsulte aliqd atq; imperite cōficeret, laboris sui fructum amitteret. Hoc em̄ libenter accepto fertur, quod deuotus sit animo & prudens.

In omni opere bono fructificantes & crescentes in agnitione dei, in omni uirtute robur accipientes secundum potentiam gloriæ eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio, gratias agentes deo patri, qui uocauit nos in partem sortis sanctorum in lumine, q̄ liberauit nos a potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filiꝝ charitatis suæ.] ¶ Incrementum

Operum eorum cum scientia uult fieri, ut nō ignorent fidei suæ spem Tunc enim firmi & stabiles sunt, si aduertant quæ pro fide promissa sunt, & quantalibet potentia gloriæ maiestatis dei in patientia, ut longa expectatiōe sustineat humanum genus, quod irreuerentia sua non solum negligit creatorem, uerum persequitur amantes eum, ut ipsi similiter patientes sint, & supportent probra & maledicta infidelium. uel si illata fuerit pressura, expectantes iudicium dei, nec dubitantes de eo. Magis autem gaudentes in promissa uita cum gratiarum actionibus deo, qui dignatus est aduocare & inducere gentes in promissionem Iudæorum, quæ est lumen æternum, id est, ueritas perpetua. Liberati enim de conditione tenebrarum, hoc est, eruti de inferno, in quo tenebantur a diabolo, tam ex proprio quam ex delicto Adæ, qui est pater peccantium, translatus sumus per fidem in regnum cælestis filij dei: ut ostenderet nobis deus, quod amore diligat nos, quando attollens nos de imo tartari, induxit in cælos cum unico filio suo. Iam enim omnes credentes, qui fixa mente deuoti sunt, exeuntes de seculo, duce dextre partis angelo, inducuntur in cælum, quod ante deuictam mortem concessum non erat.

In quo habemus redemptionem in remissionem peccatorum.

In huius filij sui regnum transtulit nos deus, per quem nos redemit, & manu emissa, remissione peccatorum liberos fecit: ut liberati a debitis, teneri obnoxij non possint. nam sine fide Christi nullus egressus de inferno est: quia obligatus peccatis, exire ianuas tartari non potest.

post Pentecosten.

Matth. IX.

In illo tempore loquente Iesu ad turbas. ecce princeps unus accessit, & adorauit eum, dices: Domine, filia mea. Et reliqua.



INter omnia miracula q̄ dñs Iesus Christus p̄ semetipsum ostendit in terris, tres tantum mortuos resuscitasse legitur. Resuscitauit filiã archifynagogi in domo iacentem, de qua nunc sermo agitur: resuscitauit filiũ uiduæ, extra portam ciuitatis ad sepeliendum delatum: resuscitauit ni-

Iohã. 11.

hilo minus & Lazarum q̄ triduanum mortuum, iã factentem in monumento. Qui ergo omnes in se credentes uenerat resuscitare in anima, non sine causa est, quod tres tm̄ mortuos resuscitasse legitur in corpore. Trina nã q̄ mortuorũ resuscitatio, uarietatem significat peccantium, atq̄ post peccatum digne penitentium.

Ieze. 18.

Moritur enim anima per peccatum, quia (sicut ait scriptura) anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Ipsum autem peccatum in tribus modis in mente, tribus perpetratur in corpore: in mente agitur, suggestione, delectatione & consensu: in corpore aliquando occulte, aliquando palam, aliquando cõsuetudine. Qui uero occulte peccat, quasi in domum mortuus iacet: sed cum diuina gratia eius

cor ad pœnitentiam agendam inflāmat, quasi in-
 tra domū mortuus reuiscitur: tales significauit
 filia archifynagogi, q̄ in puellari ætate reuiscitata
 est. Qui autem manifeste peccat, quasi extra por-
 tam ciuitatis ad sepeliendum mortuus expellitur:
 sed cum tales per diuinā gratiam & aliorum cor-
 reptionem ad pœnitentiā compunguntur, quasi
 antequam ad sepulchrum perueniant, a domino
 reuiscitantur: hos significauit a dolescens filius ui-
 duæ, quem dominus extra portam ciuitatis resus-
 citauit. Sunt etiam aliqui, qui non solum publice
 peccare nō erubescunt, sed etiam ipsum pecca-
 tum in longam consuetudinem uertunt, quales si-
 gnificauit Lazarus q̄triduanus mortuus, de q̄ be-
 ne scriptum est, Quia iam fœtet, quia dum publi-
 ce per cōsuetudinem peccare non erubescūt, pijs
 mentibus fœtorem male famæ ingerunt, sed nec
 de talibus desperandum est, quia dominus etiam
 Lazarum quatrduanum mortuum fœtentem, so-
 lo iussu reuiscitauit, de quo lachrymasse legitur le-
 sus, & uoce magna clamasse: Lazare, ueniforas: *Ioh. ii.*
 quia tales a doctoribus non solum exhortationi-
 bus, uerum etiam orationibus sunt instruendi, &
 cum magna instantiā prædicationis uoce magna
 clamandi. Frequēter em̄ per diuinā gratiam com-
 puncti, ab ipsis peccatis resipiscunt, seq̄ ipsos assi-
 duis fletibus & longioribus ieiunijs macerant, lar-
 giores elemosynas tribuūt. & ubi abundauit pec-
 carum, superabundet gratia; & sicut prompti
 fuerunt ad peccādum, sic promptiores sint ad pœ-
 nitendū. Sed nūc quid princeps uel filia eius, pro
 qua rogaturus uenerat, allegorice significēt, uideā-
 mus. Ait em̄ euāgelista: [Loquēte Iesu ad turbas,

ecce princeps unus accessit, & adorauit eum, dicens
 [Filia mea defuncta modo est, & reli.] Allegori-
 ce princeps iste, Moyses significat. Vnde bene iu-
 xta Lucam euangelistam Iairus est dictus, qui in-
 terpretatur illuminans, siue illuminatus: quoniam
 idem legislator Moyses dum uerba uitæ alijs mini-
 straturus a deo accepit, & ipse illuminatus est spiri-
 tali gratia, & alios sua doctrina illuminauit. Filia
 eius synagogam significat, quam dum primus di-
 uinis præceptis & legalibus obseruationibus eru-
 diuit, quasi spiritali utero genuit. Sed domino lo-
 quente ad turbas, principis filia defuncta est: quia
 tempore quo dominus in carne apparuit, synago-
 ga a paterna religione & legis obseruatione defe-
 cerat. Vnde etenim tumultuantibus rebus pristina
 amisit dignitatem: quia nec sacerdotalis honor, p-
 prium decorem habebat, & templi reuerentia &
 hostiarum immolatio non solum non spiritaliter,
 sed etiam nec historialiter obseruabantur. Roga-
 uit ergo princeps pro filia, quia frequenter Moy-
 ses pro synagogæ liberatione diuinã exorauit cle-
 mentiam, quemadmodum in multis locis scriptu-
 ra scriptũ inuenitur, præsertim in eo loco ubi deũ
 usq; a deo, p- populo Israelitico deprecabatur, ut
 etiã ex libro uitæ delere cuperet, modo posset dei
 irã deprecari. Et quia intellexit, eã nõ aliter a morte
 aia posse liberari, nisi p- incarnationẽ unigeniti fi-
 lij dei, recte eiusdem principis uoce dicitur:

Exo. 32.

Veni, impone manum tuam super eam, &
 uiuet.] ¶ Manus enim dñi in scripturis, aliquãdo
 incarnationẽ significat filij, sicut per prophetã di-
 citur: Vt quid auertis manum tuam, & dexteram
 tuam de medio sinu tuo? Et iterũ; Emitte manum

Psal. 73.

tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis. Ut ergo super defunctam filiam manum imponeret, rogare fuit, quatenus per incarnationis domini mysterium in modo uisibiliter appareret. Quia si enim spiritaliter Moyses manum super filiam defunctam imponere rogauit, quando incarnationis domini mysterium Iudais predicabat, dicens: **Prophetam uobis suscitabit deus de fratribus uestris, tanquam me, ipsum audietis iuxta omnia quae locutus fuerit uobis.** Et quia adueniente plenitudine temporis, non solum de synagoga carnem assumere, sed etiam deum inter homines uisibiliter se dignatus est demonstrare, recte subiungitur:

Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier, quae sanguinis fluxu patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit simbriam uestimenti eius. **Iam** Sicut archi synagogi filia synagogam significat, sic mulier, quae fluxu sanguinis patiebatur duodecim annis, significat ecclesiam ex gentibus. Fluxus enim sanguinis, immunditia significat peccatorum, sicut per prophetam dicitur: Furtum, homicidium & adulterium inuidauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. **A** quae fluxu sanguinis se liberari optabat ille, qui dicebat: Libera me de sanguinibus deus deus salutis meae. **N**on autem pretermittendum uidetur, quod haec mulier duodecim annis fluxu sanguinis patiebatur, ut enim alij euangelistae commemorant, puella haec archi synagogi filia, duodecim annos habebat aetatis. considerata ergo utraque lectio, cognoscimus, quia quoniam puella nata est, tunc mulier coepit infirmari. Quoniam & illa 12. annos habebat aetatis, & ista duodecim infirmitatis. Iuxta uero spirita-

Deu. 18.

Ose. 4.

Psal. 50.

lem intelligentiam, quando synagoga nata est, ecclesia ex gentibus cepit infirmari: quia facile cognoscuntur uicia in comparatione uirtutum. Gentilis ergo populus ex eo uilior esse cepit, ex quo populus Iudaeorum electus est. Si enim (ut diximus) puella duodecimo anno aetatis defuncta est, tempore pubertatis appropinquante uitam finiuit: quod tempore liberationis uel redemptionis instate, Iudaea suum non cognouit liberatorem, magis quam mortem elegit quam uitam. Iuxta hunc sensum, non uocat a mysterio, quod archisynagogus filiam suam octauo loco miraculorum a domino resuscitari rogauit. Recensita igitur euangelica lectione, inuenitur primum miraculum dominus in Galilea fecisse, scilicet de aqua uinum: secundum, descendens de monte, leprosum curasse: tertium, puerum centurionis a paralyti sanasse: quartum, socrum Petri febricitantem liberasse: quintum, mare turbatum sedasse: sextum, in regione Gerasenorum a legione demonum hominem curasse: septimum, in ciuitate sua Capharnaum paralyticum sanasse: octauo loco subintrat archisynagogus, pro filia rogaturus, nolens a mysterio circumcisionis excludi. Subintrat etiam & mulier, a fluxu sanguinis curata. Retro autem accessit, quia non domino manente in carne, sed post eius ascensionem credidit ecclesia ex gentibus. Vel certe accessit retro, quia non solum incarnationis eius mysterium cognouit, sed etiam uestigia passionis illius imitatur. Retro enim post dominum accedere, est eius uestigia imitari, sicut ipse dicit in euangelio. Si quis uult uenire post me, &c. Et iterum: Qui mihi ministrat, me sequatur, unde in lege praecipitur. Post dominum deum tuum

Mat. 16.

Ioha. 12.

ambulabis. Hinc Petrus ecclesiam, quæ ad dominum accessit, admonet dicens; Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Et Iohannes: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Accessit ergo ecclesia corde, non corpore, iuxta illud propheticum: Accedite ad eum & illuminamini. Fimbriam autem uestimenti tangere, est incarnationis eius mysterium agnoscere, & secundum illud spiritualiter uiuere. Quia enim deus in diuinitate tangi non potest, quasi fimbriam uestimenti tangendum se exhibuit, quando se in humanitate uisibilem demonstrauit.

1. Pe. 2:

1. Ioh. 2:

Psal. 33:

Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum uestimentum eius, salua ero,

Pulchre hæc mulier intra se dicebat, quia omnis ecclesie fides uel operatio, magis in corde est quam in corpore. Ut enim clarius in conspectu dei appareat, sua bona opera frequenter ab humanis conspectibus abscondit. De qua per prophetam dicitur: Omnis gloria eius ab intus. In tactu enim uestimenti salutem esse credidit, quia per incarnationis mysterium genus humanum saluari posse non dubitauit.

Psal. 44

At Iesus conuersus, & uidens eam, dixit Confide filia. In conuersio domini ad mulierem, respectum miseracionis eius significat ad ecclesiam. Quasi enim terga, & non faciem domini uidebat, quoniam post idola manuum suarum curreret, creatorem suum deum ignorabat. Et postquam fide eum tangere cepit, faciem ei ostendit, quando per suam gratiam mentem ecclesie ad se uidendum illuminauit. Quod quia per fidem accipere meruit, recte dicitur:

Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et

salua facta est mulier ex illa hora. Nam si quis so-
lam literam attendat, non paruam fidem mulie-
rem istam habuisse cognoscit. Cuius perfectione

Luc. 8.

fidei Lucas euangelista manifestius declarat, di-
censeam omnem substantiam suam in medicos
erogasse, nec ab ullo poterat curari. Sed cum uidisset
dominum in turba ambularem, solo tactu ue-
stimenti eius posse fieri credebat, quod multis me-
dicis impossibile fieri comprobaauerat. Vnde & ac-
cessit retro, & tetigit simbriam uestimenti eius, &

Luc. 8.

confestim stetit fluxus sanguinis eius. Cuius uir-
tutem fidei ut dominus comprobaret, ait: Quis est
qui me tetigit? negantibus autem omnibus, dixit
Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te
comprimunt & affligunt, & tu dicis, quis me teti-
git? Et dixit: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui
uirtutem de me exiisse. Vidēs autem mulier quia
non latuit, tremens uenit, & procidit ante pedes
illius, & ob quam causam tetigerit eum, indicauit
coram omni populo, & quemadmodū confestim
sanata sit. At ipse dixit illi: Filia, fides tua te saluam
fecit. Recte ergo filiā uocauit, quæ tam perfectam
habuit fidem. Spiritualiter autem (ut diximus) signi-
ficat ecclesiam, quæ filia est dei per adoptionem,

Ioh. 1.

quia sicut ait euangelista: Quotquot autem receperunt
eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Cui per

Psal. 67

Prophetā dicitur: Audi filia & uide, & inclina aurem
tuam. Quæ recte per fidem saluatur, quia sic

Hag. 2.

ut scriptum est: Iustus ex fide uiuit, & sine fide im-
possibile est placere deo. Vnde dominus mulieri

Heb. 11.

Cananæ ait: O mulier, magna est fides tua, fiat
tibi sicut uis.

Matt. 15.

¶ Notandum autē quia cum dominus

ad filiam archisynagogi resuscitandam pergeret, mulier in itinere sanata est: quia cum dominus ad synagogam docendam ueniret, ecclesia ex gentibus credendo anticipauit salutem, iuxta illud propheticum: Aethiopia praeueniet manus eius deo, Aethiopia enim quae nigrum gignit populum, ecclesiam significat ex gentibus, nigredine peccatorum coopertam. Aethiopia ergo manus eius praeueniet, quando ecclesia ex gentibus, ante synagogam credidit. Oportet autem considerare quia mulier nec in domo nec in urbe, quoniam ab urbe longe excluderetur, sed in uia ei occurrit quia gentilis populus nullam cognitionem dei, nec legis notitiam habebat, & ideo quasi nudus & discoopertus domino occurrebat. Sicque cum dominus ad puellam tendebat, mulier in uia sanata est: quia dum Iudaeorum populo praedicabat, fidem gentium approbabat, sicut ipse alibi de centurione ait: **Amē dico Mar. 8:** uobis, non inueni tantam fidem in Israel. Vnde & apostoli Iudaeis dixerunt: Vobis quidem oportue **Actu. 13:** rat primum loqui uerbum dei, sed quia repellitis illud, & indignos uos indicatis aeternae uitae, ecce conuertimur ad gentes. Manifeste etiam maior fides mulieris comprobatur, quam archisynagogi: quoniam cum archisynagogus dominum ad domum suam uenire rogasset, & in itinere eundo uel redeundo eum laborare fecisset, mulier perfecte credens nihil eum laborare fecit, sed tantum simbriam uestimenti tergit. Sed postquam dominus mulierem in itinere curauit, filiam archisynagogi in domo resuscitauit: quia circa finem seculi synagoga creditura est, iuxta illud Apostoli, Cum plenitudo gentium **Rom. 11** subintrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet **Et iterum. 1. Co. 15.**

Pfal. 67

Mar. 8:

Actu. 13:

Rom. 11

Et iterum. 1. Co. 15.



Non prius quod spiritale est, sed quod carnale; & inde quod spiritale, id est, non prius synagoga credidit, quæ spiritualis fuit, sed gentilis populus, qui erat animalis, deinde synagoga quæ fuit spiritualis.

DOMINICA XXVI. POST PENTECOSTEN, ad Colossenses in

FRatres, Mortificate ergo membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus. Quoniam omnia simul peccata corpus esse, in epistola ad Romanos significat, idcirco nunc singula delicta describens, membra ea appellat, ut post acceptam observationem euangelicam, de saluatoris plenitudine ratione bonæ uitæ operam darent, abstinentes se ab omni turpitudine & desiderio malo, quo possint peritiæ diuinæ fructum non amittere. Multum enim obest, scire ueritatem, & minime illam factis prosequentibus affirmare. Hinc est enim unde dominus inter cætera ait: Qui autem scit, inquit, uoluntatem domini sui, & non facit, uapulabit plagis multis. Auaritiã tamen idololatriæ comparauit, ut nihil illa sceleratius demonstraret. Sub uno nomine duo pessima & impia genera designauit, quæ omni ratione monet fugienda. Primum etenim graue crimen idololatria est. Quid enim tam perniciosum tamque funestum, quam ad iniuriam creatoris dei, lignis & lapidibus uel alijs metallis honorificentie eius nomen tribuere, cum ipsi non patiantur, ut seruus nomine domini nuncupetur, quem non natura utique, sed quædam conditio subijcit seruituti? Aliud crimen quidem est auari-

Rom. 6.

Luc. 12.